

...

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

...

1268-08-09

Karolus etc. universis Iustitiariis Secretis et Vice secretis per Regnum Sicilie constitutis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. A venerabili patre domino R. dei gratia Albanensi Episcopo, Apostolice Sedis Legato, licteras recepimus in hac forma: «Excellenti viro ac magnifico domino Karolo dei gratia illustri Regi Sicilie, Radulphus misericordia divina Episcopus Albanensis, Apostolice Sedis Legatus, salutem in Deo, qui regibus dat salutem in Deo, qui regibus dat salutem et prosperitatis augmentum. Excellentiam vestram volumus non latere quod nos fideliter extrahi fecimus ex actis originalibus Curie nostre nomina tam monasteriorum quam aliorum, pro quibus restituendis et super quibus rebus specialiter designatis diffinitivassententias duximus promulgandas; que nomina vobis per dilectum filium magistrum Iohannem Archidiaconum Messane capellanum nostrum destinamus, prout inferius annotentur; Excellentiam vestram rogantes, eo affectu quo possumus ampliori, quatenus possessionem eorum per nos adiudicatorum nomine monasteriorum et aliorum eidem Archidiacono, quem ad hoc specialiter deputamus, verbo restituens et easdem sententias faciatis ad instantiam illorum, pro quibus late sunt, seu Archidiaconi memorati, per Iustitios singulos, in quorum Iustitiariatu res predictae consistunt, sine more dispendio, salvo iure proprietatis, quod super ea voluerint experiri, executioni tam celeri quam debite demandari.-In Sicilia: Episcopo Cathaniensi fuit adiudicata restitutio possessionis vel quasi iurisdictionis causarum criminalium in civitate Cathanie et terris Iacii, Sancte Anastasie et Mascalarum, et custodie portus civitatis Cathanie et tertie partis duane

civitatis eiusdem, et possessionis castri Calatabionis cum iuribus et pertinentiis suis.-Venerabili fratri Archiepiscopo Messanensi fuit adiudicata restitutio cuiusdam jardini, quod vocatur Magnum jardinum Messane, siti prope muros civitatis eiusdem, coniuncti jardino et dominibus quondam Brictaydi Secreti.-Abbati monasterii sancte Marie Rocce Amatoris fuit adiudicata restitutio casalis Gaydare cum hominibus suis vassallis honoribus iuribus et pertinentiis suis, contra Iohannem de Amato.-Archidiacono Messanensi fuit adiudicata restitutio possessionis vel quasi jurisdictionis cognoscendi de causis iniuriarum in civitate et dyocesi Messane contingentium, scilicet de convitiis lenocinii meretricii magarie judearie sarracenie ingremie raballiosie spuritii bastardie et omnibus aliis convitiis illatis in privatam personam, propositis contra honestatem matrimonii principaliter vel incidenter, et iurisdictionis pignorandi vocatos in jus coram Archidiacono Messane reputatos contumaces et jurisdictionis pignorandi condemnatos ab eo seu vicariis suis pro rei iudicate extimatione, et jurisdictionis capiendi condemnatos et res ipsorum in predictis causis iniuriarum et captos retinendi donec rei iudicate parerent, et jurisdictionis mictendi servientes suos armatos per eum in civitate Messanensi pro executione jurisdictionis sue, et jurisdictionis quod officiales Regie Curie ad mandatum seu [jussu] Archidiaconi Messane, dent ei auxilium consilium et favorem ad capiendum adulteros, per eum pena debita puniendos.-Fratri Gualterio, Preceptori domus Theotonicorum in Messina, fuit adiudicata restitutio cuiusdam orti dicti de Parifu, siti extra menia civitatis Messanensis, contra Iordanum militem, civem messanensem.-Archidiacono

Cathaniensi fuit adiudicata restitutio possessionis vel quasi jurisdictionis cognoscendi de causis iniuriarum verbalium, scilicet conviciorum bastardie rabaliosie et aliorum consimilium, que sunt contra honestatem matrimonii, emergentium in diocesi Cathaniensi, scilicet in Paternione Platia Aydone Condro Castro Iohannis Calascibet Asetaet Sancto Philippo.-Archimandrite et conventui monasterii Sancti Salvatoris de Lingua Messane fuit adiudicata possessio cuiusdam nemoris, quod de Sancta Anna de Monteforti dicitur, siti in territorio de Monteforti, Messanensis diocesis, iuxta nemus Sancti Stephani ac secus flumen Raymecte et iuxta verticem magni montis.-Abbati et conventui Sancte Marie de Nucaria fuit adiudicata restitutio possessionis quarundam terrarum sitarum in territorio casalis de Solaria, que terre vulgariter appellantur de Terminis, quarum fines sunt hii: ab oriente est via publica qua itur a casali de Solaria per ecclesiam Sancti Nicholai ad mare et via publica qua itur Milatium, ab aquilone est ipsa via publica, ab occidente est quidam terminus qui vadit usque ad viam qua itur ad casale Protonotarii, a meridie vadit terminus per ipsam viam Protonotarii.-Abbatisse et conventui Sancte Marie de Scala fuit adiudicata possessio restitutionis casalis quod dicitur Racali, cum iuribus et pertinentiis suis, contra Bartholomeum de Porta militem, civem messanensem.-In Calabria: Abbati et conventui monasterii Sancti Luce, Squillacensis diocesis, fuit adiudicata restitutio possessionis cuiusdam molendini et bactenderii, sitorum prope molendinum dicti monasterii in flumine quod dicitur de Flumaria.-Archimandrite et conventui monasterii Sancte Marie de Cerreto fuit adiudicata restitutio trium partium salis provenientium

de salinis eorum, sitis in territorio castri de Sancto Niceto.-Monachis monasterii Sancti Angeli de Raparo fuit adiudicata restitutio possessionis monasterii predicti cum iuribus et pertinentiis suis, contra Abbatem et conventum monasterii Sancte Marie de Sagittaria.-Priori Hospitalis Sancti Iohannis in Messana fuit adiudicata restitutio Rocce Imperialis cum omnibus tenimentis iuribus et pertinentiis suis.-Venerabili fratri nostro Archiepiscopo[Cusentino?] fuit adiudicata restitutio possessionis castri terre Rotunde cum pertinentiis suis, cum honore districtu ac jurisdictione.-Abbatisse et conventui monasterii Sancte Marie foris Porta de Monticino fuit adiudicata possessio casalis de Lacu, cum dominio jurisdictionibus iuribus et pertinentiis suis.-Procuratori monasterii Venusini fuit adiudicata restitutio possessionis civitatis Asculane pro indiviso, cum jurisdictione honore iuribus et pertinentiis suis, deductis fructibus qui proveniunt ex corbolagio, et possessionis castri Corneti, cum omni jurisdictione honore iuribus et pertinentiis suis.- Abbati et conventui monasterii Sancte Heuphemie fuit adiudicata restitutio possessionis castri civitatis Neucastris pro solido, et medietatis nemoris pro indiviso, quod de Carra dicitur, et soli seu loci pro solido, in quo quondam Fridericus olim Romanorum Imperator fecit de novo construi quoddam palatium, quod ab eodem vocatur palatium Nemoris de Carra. - Abbatisse et conventui.....de Maliocia, Squillacensis diocesis, fuit adiudicata restitutio possessionis cuiusdam bactenderii et cuiusdam molendini..... Maliocia[et possessionis] personarumhominum seu ascriptitorum ipsius monasterii, scilicet Andree Ombrelle, Blasii..... Madii Peregrini.... Theodori, fratrum. -Abbati et conventui monasterii Sancti Gregorii de Stellante fuit

adiudicata restitutio possessionis [cuiusdam] vinee, site in territorio Squillacensi, in loco qui dicitur Runcia, et possessionis quorundam [ascriptitiorum] ipsius monasterii, [scilicet] Stephani Epersima (?) de casali Arunci, cum filiis suis, ac filiorum Basilio Fasalia, de.... Nicolai de Roccia de casali Stellante [et] Nicolai Longobardi de casali Arunci.- Abbati monasterii Sancte Trinitatis Militensis fuit adiudicata restitutio possessionis cuiusdam terre seu territorii seu cuiusdam ville, que dicitur de Monteleonis et cuiusdam rocce que constructa fuit post violentiam commissam.-Abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Carra fuit adiudicata restitutio possessionis quorundam adscriptitiorum, scilicet Perroni Ferri et Iohannis Ferri et Blasii Ferri et Andree Ferri et Stephani Cardi Ferri et Nicolai Ferri et Petri iudicis Ferri et Nicolai presbiteri Ferri.-Abbati et conventui monasterii Sancti Nicolai de Lanutio fuit adiudicata restitutio possessionis trium partium salis provenientium de salinis eorum, sitis in territorio castri de Sancto Niceto.-Datum nonis augusti, pontificatus domini Clementis pape quarti, anno quarto.»-Nos igitur, iuxta ipsius Legati requisitionem, discreto viro magistro Iohanni Archidiacono Messanensi, capellano Legati eiusdem, nomine suo et predictorum monasteriorum et personarum, in quibus idem dominus Legatus sententiavit decernendo seu firmando fore faciendas restitutiones rerum occupatarum seu invasorum temporibus quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, Conradi et Manfredi, natorum eius, vel alicuius ex eis, possessionem predictarum rerum verbo restituentes, vobis universis et singulis firmiter et districte precipiendo mandamus quatenus prelatos

ecclesiarum et monasteria et eundem Archidiaconum ac personas et loca alia, quibus adiudicata est per predictum Legatum rerum possessio predictarum, seu procuratores eorum, in corporalem possessionem predictarum rerum in decretis vobis provinciis consistentium, iuxta tenorem sententiarum eiusdem Legati, vobis exhibendarum, auctoritate vestra inducatis et defendatis inductos, jure proprietatis nobis et quibuslibet aliis semper salvo, in presentis executione mandati preceptum vel iussionem aliam nullatenus expectantes.

Datum apud Sculculam, VIII augusti, XI indictionis, Regni nostri anno quarto (1268).